



V
B
J
C

PROPEMPTICON EPITHALAMICVM

IN NVPTIAS CELEBERRIMAS CONIUGUM MAGNIFICI AC GENEROSI

D. IOANNIS ZEBRZYDOVVSKI á Zebrzydovvice.

Capitanei Vartensis. &c.

CUM MAGNIFICA, AC GENEROSA VIRGINE

D. MARIANNA GRVDZINSKA

A GRVDNA. ILLVSTRISSIMI DN. D. SIGISMVNDI GRVDZINSKI à GRVDNA PALATINI RAVENSIS &c. &c.

Nec non Illustris ac Magnificæ Dn̄. D. Barbaræ Grudzinska á Karsnice &c. Filiâ

Authore IOANNE PIOROWIC

POSNANIAE,

In Officina Typographica Ioannis VVolrabi,

Anno Domini 1611.

IN VEXILLVM ET TVRRES CONIVGVM ILLVSTRIVM INSIGNIA.

GLORIÆ

PERENNE



DIADEMA

CONIVGVM.

SVNT tibi tres Turres insignia. Grudnia Virgo,
Armatus miles liminibusque datur.
Sat laudis. Plus laudis habes Vexilla reponens.
Turribus, hæc tibi dat pansa Zebridouius:
Quid Turres, nisi sunt victoria certa? triumphi?
Vexillo posito gloria maior erit.

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO.

D. Ioanni à Zebrzydowvvice Zebrzydowvvski Capitaneo Vartensi &c.

Salutem ac perpetuam foelicitatem, &c.

IOANNES PIOROWIC.



Mnib⁹ innotuit, quàm præclaris omniq; laude ac virtute insignibus proauis, ataui∫q;, antiquissima progenies Zebrydouiana originē ducat. Cuius maiores (vt recensendâ longâ serie præcipuarū personarum eiusdē prosapiæ supersedeam) in toga & armis plurimùm Reipub. profuisse monimenta testantur. In quibus cùm Reges Regni Poloniæ ardorem inesse quendam singularem, Heroicosq; animos ad quæuis audenda non desiderari viderēt, eos ad summos dignitatis gradus euehendos curarunt. Quæ tamen munia varia, summa cum laude obibant, & in turbulento statu Reipub. caliginē luce consiliorū suorū etiā non absq; periculo salutis discutiebant. Cum itaq; in obeundis

negociis publicis, infractæ virtutis, summæ dexteritatis, animique magnitudinis inauditæ essent, non desiderabatur in aduersis fortitudo, & in custodienda libertate sedulitas. Atq; his gradibus, vt pote in Rēpub. meritis, ad summum splendorem virtutibus Heroicis domus Zebridouiana prouecta, vsq; eò posteritas in optimè de Repub. merendo, (vt recens memoria orbi testata manet) non deficit. Multùm, profectò multùm paterna virtus efficit, cuius splendor vt oleũ aquæ immersum repente enatat, in posteritate sursum vergit atq; efferuescit. Vt verò commodiùs cum antiquissimis amplissimisq; familiis, summum ius amicitiæ, summis officiis colere ac prosequi posit, id matrimonio confirmandum atque stabiliendum censet. Quorum tu vnus, Magnifice Domine, te mihi modo offers, qui matrimonio quo nihil potest esse coniũctius, amicitiam ne vacillet, nunquam dirimendam cum antiquissima ac percelebri domo Grudziniana, corroborasti. Habes itaq; cur læteris, & vt maior ansa obrepat exhilarandi tui: hunc tibi libellum do, dedicoq; vt clarissi-

mo

mo tuo nomine illustratus benignius se se cuiq; legendus inserat. Oro itaq; ac obsecro, vt hoc qualecunq; pignus tibi dicaui, æqui boniq; consulas. Exiguum quidem est opus, spero tamen, vt à tuo nomine cui consecratum est, magnitudinem, à tua humanitate cui commendatur, dignitatem sortiatur. Vale.



PANEGYRIS PEGASEIA.

SI qua fuit laudes dicendi vena Pòëtis,
Et placuit Clariam sollicitare chelyn.
Nunc iam mille modis possint depromere vires.
Nobile par fædus, cum sociale subit,
Omnes cum laudent, eadem mihi fama relicta est,
Iam læto fælix omine surgat opus.
Qui nemus Eurotę, Claron, & Penëiá Tempe,
Non dubitas Lechicis posthabuisse iugis
Hunc primùm Pataræe mihi concede laborem.
Sponso cum Sponsâ, metra canenda nouo.
Prodiit in lucem Zebridouiî cura, puellę
Possit vt æterno nubere connubio.
Incertus, quo fata ferant, vbi sistere detur
Obuia sollicito Grudnia Sponsa venit.
Multis ad metam thalami currētibus vni,
Vni hodie fauit, sic Hymenæus amor.
Est hodie noua nupta nouo sociata marito.
Vnica præ multis tu Marianna places?

Mouit

Mouit clara domus, mouêre in virgine dotes.
Mille animi, vicit sic socialis amor.
Consiliis habitis, violent ne Hymenæa statuta
Ingressi thalamum, mutuus adsit amor.
Ite procul, procul ite, & in hospita quærite Tesqua
Dente Theonino carpitis Eumenides.
His Deus infudit castas in pectora flammas
Auxit vt motus æthereâq; pios.
Æternæ subeunt commercia mutua sortis
Integritate ambos ornat & auget Hymen.
Indubitata hæc Zebridoui, te fata manebant
Sponsa sit vt Prudens, sponse Pudica Pia.
Traditur ecce tibi coniux, de sanguine tanto
De quanto soboles debuit esse tibi
Excedit stellas quantùm Dea Cynthia noctis
Queîs non sufficiens splendor inesse solet.
Exsuperat tantùm multas tua Nympha puellas,
Splendorisq; sui nobilitate præit.
Non fauit Boreas primùm, qui tristia iecit,
Nubila, sed Zephyrus quę placuêre dedit.

Ecce

Ecce fauente Deo, affulsit clementior aura
Votis in sociam est virgo dicata tibi.
Ritè. Tuum fulget generoso pectus Honesto.
Dignus es hoc thalamo, dignaq; Virgo toro.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Omni Phryxeam tempore nebit ouem.
Iam gratare tibi, Sponsæ gratare parenti,
Per quos es felix, tu fateâre, decet.
Ipse parens Sponsæ, generum sibi lætus adoptat
Præstantem huic thalamo dexter Apollo, faue
Vos & Apollineæ (si debita posco) Camęnæ
Este bonæ thalamis, coniugibusq; nouis.
Pronuba dum poscit, dum Sponsus & hospita turba
Concentu thalamum condecorate nouum.
Dum Zebridouium, & Mariannam perpete nexu.
A Grudna, Charites, faustus Hymenq; iugant.
Dumq; Pales epulas, dum pocla ministrat Iacchus
Spargit odoriferas dum Zephiritis opes.
Et modo dum Lechicis gaudens Feronia lucis
Gyrat Hamadryadum Pane canente choros

Vos

Vos Hymenæa simul decorate Charistia Musæ,
Et Spōsus citharis, Sponsaque digna coli.
Cum Vestro est solitus quondam insudare Lyceo;
Nec mora Hyantæis hunc recreastis aquis.
Nunc varias causas obseruantissimus æqui
Et Themidos cultor, quò veneretur habet.
Illius ergo nouas, myrtoque & bacchare spondas
Cingite, quæq; suas hîc & obite vices.
Eia age laurigeras inter pulcherrima Musas
Surgito in Heroas Calliopea tubas
Legitimi sacra iura tori pare laude vehuntor
Virginitas vobis sit magè grata licet,
Gesta canens Clio, consortum exempla piorum,
Occinis, effluxam vitam vtriusq; refer.
Tinnula plectra gerens Erato pede, carmine, vultu
(Gaudia nam poscunt hæc Hymenæa) sali
Nomen amoris habes, castos moduleris amores
Diuus amor quales conciliare solet.
Tu quoq; da modulos, salibusq; Thalia modestis
Conuiuas hilara, sertaq; pone comis

Melpomene Tragico proclamās mæsta boatu
Iam modo lęta nouos concelebrato toros
Terpsichore citharâ gaudens, hilariq; choreâ
Fac rotet arte agiles, hospita turba pedes
Conuiuas vario inter se sermone serentes
Euterpe Organico læta canore leues.
Cui numeri, & cantus dederunt Polyhymnia nomē
Quæ loqueris, gestu cuncta notasq; manu
Dicito, connubium faciat quid nempe beatum
Quæue beata probes fædera amicitiæ
Nam quibus ornatā virtutibus esse puellam
Conuenit has etiam credo decere virum
Et Sponsum & Spōsam placidis hortatibus imple
Viuendi normam, ius thalamiq; doce
Ambo Sacramenti veneranda statuta iugalis
Munus & ambo suum, te retegente sciant
Quam deceat stabili nexu, quam fœdere sancto
Ducere concordes, & sine lite dies
Quo studio sobolem teneris educere ab annis
Numinis in laudes, in patriæq; decus

Sydera

Sydera quæ monſtras tacitis famulantia fatis
Vrania ambobus fata ſecunda cane
In medio reſidens quando annuit omnia Phæbus
Dicite coniugibus carmina digna piis
Exoptent ſponſis, thalami Deus author honeſti
Vt beet omnigenis ſemper vtrumq; bonis
Vna fides ſit, vtriq; amor vnus, & vna voluntas
Cælicus æternum iungat vtrumq; Polus
Soſpes vterq; diu viuat, ſolatia cælo
Multa fluant, felix omnis vt annus eat
Virgo eſt nata viro: circumuolitentur amores
Multiplici veſtrâ prole triumphet auus.



ILLVSTRISSIMVS DOMINVS,

D NICOLAVS ZEBRZYDOVVSKI á Zebrzydovvice, PALATINVS AC GENERALIS CRACOVIENSIS. SNIATINENSIS &c. &c. CAPITANEVS, Frater Sponsi, benè precatur Coniugibus.

ACcipe summe Deus, summi regnator Olympi
Quas pro coniugibus fundo tibi pectore voces
Non me prisca mouent, temno ludicra priorum,
Quæ affinxêre tibi, cæliq; Quiritibus olim,
Vana superstitio sileat. pudeatque nefandi
Criminis, esto nefas sedes temerare beatas
Cum pia relligio cælo caput extulit, omnes
Luce fugans tenebras, haud falsi numinis index
Vox nunc est mutãda, nouo nunc ore precandum
Dij pereantq; , Iouis iam vero cede Tonanti
Ad cuius subitò verbum emersêre creata
Omnia, & ex nihilo cepit splendescere mundus
Te qui cuncta regis mundi & radiandis Olympi,
Et

Et varias vario plantas in corpore vites
Te, inquam, te mea vota vocant, vt mutuũ amorem,
Progeniem, nec non solatia cætera præstes
Connubio thalamoq; nouo, certabit vterq;
Dum vitâ dubiâ, Sponsus & Sponsa vicissim
Et quãuis mortale genus nil promere possit
Laude tuâ dignum, semper laudumq; tuarum
Omnia plena sonent cælo, terrâq;, mariq;
Omnia sunto. Deus nostras tamen optime laudes
Non refugis, gaudesq; hominum pietate benignus
Clemensq; auxilium cælo demittis ab alto
Tu quoties libuit veluti deprompta reclusis
Thesauris, profers felicia flabra Bonorum
Effice felices, & conditione beatos
Effice concordes, viuant sine lite diebus
Perpetuis, fac ignorent excedere metam
Iustitiæ, nodoq; Deus tibi necte tenaci
Per te vita salus homini cunctisq; creatis
Accidit, omnia sunt manuum monumenta tuarum
Per te stat mundi & cæli pulcherrimus ordo

Tu vigor es rerum thalamiq; toriq; sequaces
Admirandâ pace ligas, tu nexibus vnum
Efficis & vinclo nectis fera corda tenaci
Tu thalamos socias noua tu connubia iungis
Da Deus vt maneant stabiles compagibus arctis
Et sint concordes semel ambo fędere pacto
Da Pater extremæ cum vitę aduenerit hora
Te Præsente mori, pateat sibi Curia sancti
AEtheris, exhilaret fons viuus, & aureus imber
Cælestis, sanctumq; tuum fac numē adorent
Credo preces audis, teneor tibi soluere grates
Semper honore meo, semper celebrabêre donis

PALATINIDA ET ECHO.

P. QVis fragor intonuit, tectū nostrumq; repleuit
Aulanè contremuit, turbine concita E ita?
P. Pompa sonat veniuntq; viri per compita E cita
Fæmineï sexus commeat omnis honos
P. Insidias vereor. Cur ventus in aëre stridet?
An mihi supplaudens assonat Echo E veho
P. Quo

P. Quo vehis an claustris E. plaustris P. discedito E. abi
P. Dic quæ sit cuius vota beata E. data (to
P. Concedant iter hoc redimã, auro onerabo E. negabo
P. Nec malè, iuncta toro, namq; superstes ero
P. Ecce meum venit munimen honoris E. amoris
Cede Panompheo iam dabo vota Deo.
P. Addam me lateri Sponsi, proprioq; marito
Eius & ingrediar iam modo limen P. Hymen
Condoleant, sed sospes eat, lucebat E. habebat
Virtutum radios queîs decorata fuit
Exemploq; suo multos ornauit E. amauit
Sic vixit virgo, sic generosa E. rosa
Sponse insigne tuum vexilla reuolue paterna
Turribus ecce tribus concita turba ruit?
Exprimit ecce suum vultu Marianna E. Diana
Moribus ore patrem, splendida luce E. duce
Cui cordi pietas, virtus, probitasq; renidet
Quę sibi conueniunt ex patre, matre E. patre
Turba frequens, lętatur, ouat, gratatur honores
Quos Sponsus peragit Sponsaq; finit E. init

Vo-

Votis præmissis Sponso es socianda E paranda
Omnia sunt thalami iura parata E rata
Egregius tandem Sponsus virtute decorus
Penelopen tollat, iam venit Io. E venit
Digna viro tali, pariter tu virgine tali
Secula Cumæę viuito mille E Sile
Dia virago præi placido pulcherrima vultu
Ecce pręit Sponsus ductus amore E moræ
P. Credo moræ nullæ, signũ probitatis E catis
P. Ire iubes læto fungar vt officio
P. Ibo cateruatim, Deus est orandus E amandus
P. Fiet vtrumq;, intro iam penetrale E Vale.

LOGOGRYPHVS.

IOANNES.

PRincipium gaudere iubet, referendo triumphum
Nam data sunt placito vela secunda tuo
Pensa trahent famulæ, ancillæ nosceseq; labores
Nominis hinc finis fila trahenda notat

ZEBRZY-

ZEBRZYDOVIVS.

TOlle pedis plantam, cognominis vltima specta
Est animal, quo nil mitius esse potest
Munus amoris habes, animal re mite dicatum
Quale nec Idæis possis habere iugis
Cætera despicias, violes ne iura mariti
Cum vitæ tibi sit commodioris iter

CAPITANEVS

FRons caput osq; docent, te non coluisse latebras
Apparet capiti quantus habendus honor.
Annuit ore, tori sponsus contentus honore
Principiumq; dari Sponsus honoris habet

VARTENSIS.

SIT caput & pectus, sedes tibi flumen amænum
Tanquam Nilus aquis quod rigat omne solum
Crura pedesq; truces tibi sunt, hinc mitibus esto.
Mitis, sed reprobis, igneus esto furor
Tramite felici decurrito lustra Ioannes.
Zebridoui, ad superas ibis onustus opes

PÆAN.

Vade tori ductus Zelo ſine præpete curſV
Innuptus nullus repEret tentoria nuptI
Vade valens en haBes Sponſā nō diſpare luiV
Adiuncti omnia iam Renuens vt munera ſeruA
Triſte nihil ſubeas Iucūda nec eminus adſinT
Integrū vitæ curſum Dent numina cælI
Omine fælici iſte tOrus datur auſpice ChriſtO
Infortunatus ſociVm cape, gaudia mundI
Occine Io Pæan & Io ter dicite SponſO
Impoſitum officiVm Spōsꝰ ſibi pectore fortI
Omne ferat, ſit ſaluuS in hoc, æuoq; futurO.

TYPVS MATRIMONII

VAllis in amplexu ſinus eſt vmbroſus opaco,
Motu vbi continuo fons ſcaturire ſolet
Quo qui fonte lauat, ſi vir fuit exilit inde
Ambiguo ſexu ſemiuir Androgynos
Sponſis forma duplex, duo corpora ſunto, voluntas
Vna ſit, & facies coniugis vna viri

Fœdere concordi, semperq; reciproca dentur
Suauia, & alternæ sint in amore vices.
Dextris sponsorum coniunctis, dextra sinistrum
Vna latus, dextrum ast altera dextra notat
Illa fidem sponsam, viuacem hæc signat amorem
Vná vt conueniant, hinc amor, inde fides
Vnica frugiferis operitur frondibus arbor
Arboris in ramis plurima degit auis
Cernimus vt rostris det pabula sæpe columbus
Pullis, atq; vnâ turture turtur ouet
Proq́; suo fætu plumis spoliata Palumbes
Concordi cornix in grege semper agit.
Et sua transfigit Pelicanus pectora, vitam
Dum pullis proprio sanguine restituit
Arbor connubium, officium notat ore columbus
Misto, sed turtur signa pudoris habet
Signat amicitiam cornix, pietate Palumbes
Gaudet, pullorum sed Pelicanus amans
Sit vestri pariter munus commune laboris
Comparq́; augendæ sollicitudo rei.

Cumque homines sitis, multùm ratione potestis
Vos potius deceat fædus amicitiæ.
Hæc est connubij benè conuenientis imago
Signum in legitimo connubiale toro

NYMPHARVM MELOS.

NYmphæ dum resident ordine fontibus,
Laudes connubii, munia coniugum
Præsentis thalami, gesta celebria
Metris ritè nouis officia edocent.
Quæ dum plectra gerunt, omnia permeant
Cursim prosiliunt, arte rotant pedes.
Audiui & Cytharæ dulce melos nouæ
Quâ laudant thalamum Zebridouîi hoc tono.
Innupti procul hinc cedite protinus
Virtus & pietas Zebridouîi obuia
Palmam connubii præripit omnibus
In Grudzinianâ percelebri domo.

Iam

Iam gaudet socio pro placito suo
Sponsus, Martis amor. Lechiadum decus
Quem bellis celebrem Martia fecerat
Olim claua virum, pro patriis focis
Certantem intrepidè. Nomen in vltimas
Oras Zebridouîi tendet, vbi infimus
Decurrit Tanais, cingit & Indiam
Ganges, quáue datur terminus Alpibus.
Ad festiua tori gaudia, det Deus
Euentus placidos, coniugibus piis.
Tu pro muneribus, quæ tibi præstitit
Istis temporibus, Cunctipotens Deus
Grates supplicibus perfice vocibus
Quo sentis toties subsidium duce
Et iam digna tuo munere præmia
Ex vtroque Polo centupla conferet.

INDISSOLVBILE
CONNVBIVM.

Cur fulmen ardens nubibus exilit
Densis? graui cur dissiliunt sono
Tormenta bombos concitando
Puluere multo onerata Martis?
Vno teneri nam nequeunt loco
Diuersa summè: pondus habentia
Leuissimis rebus repugnant:
Frigida sic calidis vicissim.
Sic siccitati corporaq; humida.
Durissimis & mollia cedere
Sueuêre, sic contraria vnâ
Sede diu nequeunt morari
Rumpi videmus sæpius (ô scelus)
Tædas iugales, quando pares vices
Non sunt amoris, nec coæquant
Diuitiis, pietate, honore,
Negociorum nil Hecale inquiunt
Cum Cræso habet prædiuite quid iuuat?
Regina si poscat maritum
Nomine qui vocitetur Irus

Sed

Sed iura sacri connubij, modo
Nullo reuelli à spiritualibus
Posſunt, Deus nodo sacrato
Quæ ligat; hæc rata vult haberi.
Nodus magis quàm Gordius implicat
Sponsos, ad ipsam ne temerè audeāt
Mortem, licet causæ ferantur
Iura resoluere nuptiarum.
Hæc hæc recentis, vincula connubii
Mors sola quamuis tarda resoluere
Potest, tamen cælis secundo
Iunget eos pietas, amorque.

CRESCIT AMOR CONNVBII.

Applicat vitis veluti suaui
Vinculo se vlmis, sterilesque per se.

Vi sua

Vi suâ amplectens, vegetat, suoque
Ditat honore.
Applicat sic sponsa modo suaui
Se suo sponso, retinens fauorem,
Basiorum vi recreat, suoque
Complet amore.
Vita iis est vnaque, vitis vlmo
Nititur, sic virgo dicata sponso:
Nam bonum commune malumué vtrisque
Creditur esse.
Et viro vxorique fides voluntas
Vna, qui viuunt similes eadem
Mente, sors est vna, tenent & æquo
Omnia iure.
Vnio sit magna decet, recentis
Hoc Sacramentum thalami requirit.
Hac & abducet ratione nullus
Casus vtrosque.
Hæc tibi sponso meditãda mitto
Clare gestis Zebridoui Ioannes.

Non

Non latet virtus tua, nec latebit
Omne per æuum.
Palmites crescant benedictione
Numinis, posthac latices sequentur
Myrtus, & Laurus: tibi Rosmarinus
Post orietur.
Te regat Christus, thalamoq; præsit
Sponse placetur, nec opem negabit
Nuptiis nuptis vt vtrisq; faustè
Omnia cedant.

FIDES ET CONCORDIA CONNVBII.

Si qua decet virtus deceat concordia Sponsos
Sitque simul pietas mutua, & vna fides
Hæc fides species, id habet concordia signum
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa fides

Hanc si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum tristia fata trahit

IOANNES ZEBRIDOVIVS A ZEBRIDOVICE. CAPITANEVS VARTENSIS.

Anagramma

DEVS BENEDICAT. INVENISTI VIR SVAVES ROSAS. CARPE. NODO ADIBIS.

CVM pateat Phœbi tot sæcula floridus hortus
Serta sibi iuuenes splendidiora parent
Laurus. Martis flos. Diuis in honore virescunt
Sedula dum irriguas Flora ministrat aquas
Ambobus laus est ingens, vnoq; potiri
Nam color & species floribus omnis inest

Quiu

Quin Zebridouius vi Martis & artis abundans
Vtraq; diuerso tempore dona tulit
Laurus odore comas, post Martis tædia cinxit
Militiæ vt constet nobilioris honor
Iamq; fauens flori, nec habet vim Nympha negandi
Est bene. Nam nisi tu flore valere potes
Hortus cum pateat, potiores selige flores
Lilia quæ remedij sunt adhibenda vice
Huic DEVS omnipotēs thalamo BENEDICAT honesto
Floribus & Lauro Flora Maria beet
INVENISTI CARPE ROSAS SVAVES VIR amoris
Herculeo NODO strictus ADIBIS Hymen

IOANNES ZEBRIDOVIVS CAPITANEVS VARTENSIS.

Anagramma.

RITE INIS IVS TORI SPONSE.
VADE. SANE ABDVC VAS. N.

SI qua viro placeat nexu socianda iugali
Virgo. Sacramenti est lege iuganda viro

Virginis ac primùm, matrisq́, patrisq́; voluntas
Omnibus est mediis inuenienda viro
Si iam virgo datur, sacratas iuret ad aras
Et faciant ambo debita vota Deo
Festus Hymen thalamum testetur & aurea pompæ
Ornamenta, frequens ornet amicus Hymen
Vnum velle, vnum fac, nolle requiritur vnum
Quos iuga sacra tori, fidaq́; iura ligant
Olim Romani inuitas rapuisse Sabinas
Dicuntur, raptus causa cruoris erat
Priamides Helenam rapuit, Lucretia Romæ
Est oppressa, cadit crimine Tarquinii
Talibus exemplis mundus plerumque redundat
Audimus multos vi rapuisse nurus
Tu modò INIS IVS RITE TORI & Cōnubia SPONSE
Omni seruatâ conditione tori
VAS tibi debetur SANE velociter ABDVC
VADE tibi virgo plena decore datur
Littera quæ restat, millenos Nestoris annos
Innuit, vt vitæ sit diuturna dies

AD PA.

AD PATREM SPONSÆ.

Munus honorificum mihi donas: Magne Senator
  Non immemor tui vt fauoris gestiam
Huius magna quidem sed maior gloria gemmæ
  At maxima est necessitudo sanguinis
Filia sic gemmis vt & auro prævalet: ergo
  Fac gestiam tuæ fauore filiæ

AD MATREM SPONSAE

ORnauit Mater passim vineta puellæ
  Vnde fluunt plenis vina Falerna cadis
Hæc sunt virtutes: referat iam Barbara grates
  Omnia pro tantis sunt facienda Bonis
Præsens Sponse Bonis nolis melioribus vti
  Lilia verus odor. Filia verus honor

SPONSVS AD SPONSAM

IAM mihi Sponsa daris, gratissima munera Sponso
O decus, ô animi deliciumq́, mei
O me felicem, siquidem requiescere portu
Me licuit tali, nullus abusus erit
Æsonides non lætus erat sic Colchide, cuius
Phryxeum rapuit nobile vellus ope
Andromede quondam monstris erepta marinis
Perseo iuueni, non ita grata fuit
Vt tua grata mihi est præsentia Sponsa marito
Assiduis precibus sollicitata meis
O dilecta mihi, multos quæsita per annos
Egrediâre, meum iam penetrale subi

SPONSA AD SPONSVM

SPonse colende mihi, tibi reddor Sponsa regenda
Accipe non renuo, Sponse colende mihi

Sponse

Sponse colende mihi, vinclo sociata iugali
Sum tibi, tolle tuum, Sponse colende mihi
Sponse colende mihi, tollis me, tollo vicissim
Te, sumus ergô pares, Sponse colende mihi

AVTHOR AD SPONSVM

DVM te collaudo, conor me tradere Ponto
Musa nequit laudes enumerare tuas.
Parce (breuî dicam) tua laus & fama manebunt
Dum voluet Nymphas in mare Varta suas

